us septem vicibus, i.e. annô quadragesimo et quidem
die decimo mensis septimi. Cum autem duplex ap.
Ebraeos esset anni computatio, una, quâ vulgaris et
Politica, vel ideô dici meretur, quia à mense eô,
qui nostro potissimum respondet Septembri, et in quô
universa mundi machina à DEO creata creditur,
inchoabatur; altera, quâ Ecclesiastica, vel ideô, quod
ejus usus solummodò in rebus sacris et Ecclesiasticis
conspiceretur, dicta, à mense eô incipiebat, qui nostro
maximè respondet Martio, cujus et Israëlitae suum ex
Aegypto debent egressum. Factum hinc est. ut Ju-
bilaeum alii in Nisan, alii in Tisrim collocarent.
Priorem qui sequuntur sententiam, rationem computan-
di secundum annum vulgarem s. civilem instituunt.
Posterioris calculi ratio respectum habet ad annum
sacrum s. mysticum. Interim verò de communi
propè omnium Interpretum sententiâ, anni Jubilaei
promulgatio in mensem Tisri collocatur et conjici-
tur: qui septimus est anni sacri, primus verò istius
anni communis s. civilis tempori respondens autumna-
li. Commodum me-Christe, tempus anni: quô in
servi libertate donabantur, debita relaxabantur, ca-
ptivi dimittebantur. Ne dicam: quod eôpse anno
res à propriô abalienatae Domino in proprium jus
reverterentur, judicia litigatorum dissolverentur,